



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MITUENSIS** PRAEFECTURA APOSTOLICA  
MITUENSIS, IN COLUMBIE FINIBUS,  
AD DIGNITATEM EVEHITUR VICARIATUS APOSTOLICI, QUI  
DEINCEPS MITUENSIS-PORTUS INIRIDENSIS APPELLABITUR

Laetantes cernimus Columbianas inter gentes catholicam fidem latius proferri altiusque insidi. Cum igitur animadvertissemus Praefecturam Apostolicam Mituensem Instituti Yarumalensis pro Missionibus ad Exteras Gentes sollertem propter industriam feliciter prosperari, excusso exploratoque consilio existimavimus communitatem illam ecclesiam ad gradum dignitatemque Vicariatus Apostolici provehendam, magnam quidem spem habentes agrum illum dominicum posthac fore ut ditiose segete vestiatur. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationis pro Gentium Evangelizatione negotiis praepositorum, Apostolicae Nostrae auctoritatis usi plenitudine, Praefecturam Apostolicam Mituensem, iisdem finibus servatis, ad statum attollimus Vicariatus Apostolici, qui subinde *Mituensis-Portus Iniridensis* appellabitur, additis insuper iuribus officiisque quae ius canonicum id genus tribuit his sedibus. Quibusvis rebus minime obsistentibus. Ceterum satis sumus gnari inibi quibus difficultatibus quibusque laboribus afficiantur homines. At, adiuvante Domino, opem laudabilem ac perutilem Instituti Yarumalensis pro Missionibus ad Exteras gentes ferentibus sodalibus, magna sane tenemur fiducia fideles novi Vicariatus Apostolici Mituensis-Portus Iniridensis in humana christianaque iuxta provincia haud mediocrem progressum consecuturos.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Franciscus Cascone, *Protonot. Apost. s.n.*  
Raphaël Varca, *Protonot. Apost. s.n.*

\*A.A.S., vol. LXXXI (1989), n. 10, pp. 1084-1085

© Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana